

Hæreticus fiat, liceat Regem deponere. Unde Henricus III. Rex Galliaë interfectus manu sicariâ.

Vide scripta *Bellarmini & Swarezii*, qui regicidium Anglicanum defendere voluerunt, ut *Miltonus*.

3. *David Pareus* Calvinianus tradidit idem in scripto, quod jussu Jacobi I. Angliæ Regis est combustum.

ARTICULUS XXIII.

DE

NOVISSIMIS.

APHORISMUS I.

Novissima appellantur, quæ ultimum hominis finem concernunt, exitum rerum omnium, consummationem salutis & transitum Ecclesiæ militantis in triumphan-
 tem. Primum inter eadem est MORS, quæ describi potest, quod sit solutio animæ vel in Paradysum vel in Gehennam abeuntis à corpore, propter peccatum omnibus hominibus in pœnam primitus irrogata, credentibus verò propter Christi meritum in svavem somnum & lucrum insigne destinata, unde & in sepulturâ corporum mortuorum luctum moderatum esse oportet.

De Novissimis in genere & in specie de morte.

EXPLICATIO.

I. Novissima.

1. Est *nomen collectivum*, plures in se comprehendens doctrinas, ideò etiam non in numero singulari, sed plurali seu multitudinis, dico.
2. Novissima alia sunt hominum *singulorum distinctim*, alia *universorum conjunctim*. Inter priora primò loco recensenda est mors, ad posteriora debet referri extremum judicium, consummatio seculi.

II. Quæ ultimum hominis finem concernunt.

1. Non, quod respectu omnium novissimorum sit ultimus *ratione intentionis divinae*, sed *ratione eventus*.

XXX 2

2. Ho-